



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 6. An dubius in fide est Hæreticus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

tibi sicut Ethnicus. Et ad Tit. 3, *Hæresi-
cum devita, quia subversus est, & delin-
quit.*

Nota ex De Lugo. Ut aliquis sit Hæreti-
cus sufficit, quod taliter ei proponatur Ec-
clesiæ Doctrina, seu judicium, ut hoc pru-
denter negare nequeat, nec de eo dubita-
re, licet nolit credere tale esse judicium
Ecclesiæ: nam hoc ipso pertinaciter respuit
Ecclesiæ Doctrinam sibi sufficienter pro-
positam. Enim verò ad hæresim non re-
quiritur, ut quis credat aliquid proponi ab
Ecclesia habente auctoritatem infallibilem
in proponendo, & ei dissentiat; nam cùm
hoc judicio est impossibilis dissensus: alio-
qui crederet esse falsum id, quod simul cre-
dit proponi ab Ecclesia non potente pro-
ponere falsum, quod esset aperte sibi con-
tradicere. Hinc Hæreticus est, qui dicit:
ego credo omnia, quæ credit Ecclesia; sed
non credo hoc dogma, quod puto non
proponi, nec credi ab Ecclesia: si taliter ei
proponatur judicium Ecclesiæ circa tale
dogma, ut non possit nisi imprudenter
id negare, nec de eo dubitare, aut for-
midare.

Q. 6. *An dubius in fide est Hæreticus?*

Resp. Qui de veritate aliqua, ab Ecclesia
proposita, & revelata dubitat deliberatè,
judicando eam esse incertam, & posse esse
fal-

falsam, est formaliter Hæreticus. Ita communiter cum S. Thom. q. 10. a. 1. ex cap. 1. de Hæret. ibi: *dubius in fide infidelis est.* Item ex Conc. Later. V. sess. 8. ubi damnantur tanquam Hæretici, qui afflunt, vel dubitant animam hominis esse mortalem: quia sic dubitans judicat veritatem Fidei ab Ecclesia propositam ut revelatam, non esse certam; item auctoritatem Ecclesiæ in proponendis rebus Fidei non esse infallibilem: quod utrumque est aperta Hæresis. Idem dic de dubitante per meram suspensionem assensus à voluntate imperatam propter motiva contraria: quia talis æquivalenter judicat motiva contraria Fidei tantum valere, ut incertam reddant veritatem illam, quamvis ab Ecclesia proponatur ut fide credenda; si quidem assensum sibi imperare non audet ex metu errandi incusso per motiva contraria illi veritati. Ergo æquivalenter judicat Ecclesiam non esse infallibilem in rebus Fidei, & æquivalenter contradicit sensui Ecclesiæ judicantis veritatem à se propositam ut revelatam firmissimè credendam esse propter auctoritatem divinam. Ergo talis est formaliter Hæreticus; cùm in æstimatione morali, & in ordine ad hæresim formalem, contrahendam perinde sit, sive formaliter sive æquivalenter judices Ecclesiam non esse infallibilem, & contradicas scienter ejus judicio:

nam

nam ad hæresim formalem sufficit quodvis judicium erroneum contra fidem cum pertinacia.

Dixi, per suspensionem imperatam à voluntate: nam qui cogitans de rebus Fidei, intellectum ad alia averteret, & ita assensum suspenderet non ex metu errandi, sed præcisè, ut intellectum aliis rebus applicaret, non esset ideo dubius in fide, ut patet.

Q. 7. Quanam sunt pæna contra Hæreticos Latæ?

Resp. Sunt 1. Excommunicatio major ipso facto lata, cap. *Achatius* 24. q. 1. & cap. 9. & 13. de Hæret. ex consensu Doctorum sufficit Hæresis occulta, modò sic externa, hoc est, verbo, signo, vel facto, quamvis nemine præsente, declarata; nam tunc est vere externa, & per se exterius cognoscibilis. 2. Irregularitas. 3. Infamia juris, si Hæresis sit notoria. 4. Privatio Beneficiorum, & dignitatum, cap. 12. de Hæret. in 6. Item jurisdictionis spiritualis, cap. *Audivimus* 24. q. 1. & cap. *Apertè* ibid. 5. Bonorum confiscatio, cap. 10. de Hæret. sed hoc non ubique viget. 6. Privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ, cap. 2. de Hæret. in 6. ubi ex communicantur ii, qui Hæreticos scienter tradunt Sepulturæ Ecclesiasticæ.

Tom. I.

Bb

Not.